DEO OPTIMO MAX.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis quintâ mensis Martis, anno Domini M. DCC. LXXXII.

M. SIMONE VACHER, Regis Exercituum in insulâ Corsicâ, Medico Primario, Doctore Medico, Præside *.

An magni Abscessus Ferro, non Cauteriis, aperiendi?

I.

QUISQUIS est Febri vel inflammationi succedens Tumor criticus, mollis, circumscriptus. Abscessus vocatur. Hoc facto veluti Gemonio expellit Natura furens, quidquid luxuriatur sanguini noxium; hùc Commitigatæ, Coctæ, & quasi Concrematæ vasorum impetu, detruduntur quotquot sunt casu vel morbo dissociatæ, fractæ, adulteratæ corporis partes; adeòque jam dissolutâ humorum primordialium commixtione, nova aggeritur seu damnata quædam materies, Puls scilicet viscosa, liquens, albida, cum aquâ miscibilis & in eâ fundum petens, quæ Pus dicitur. Sic suâ nativâ deperditâ indole peregrinum fit quòd anteà erat corpori assimilatum, atque indè foràs exulare seu abscedere coactum, non malè Abscessus audit, nec perperàm Hippocrates ab eoque Severinus & alii benè multi, Abscessum definiunt, *Recessum materiæ nocivæ in quemdam locum.* Porrò cùm in formando abscessu unus sit ille Naturæ finis, ut se se à pernicioso hoste vindicet, non sufficit ipsam ad quamcumque partem recessisse materiam, si non corpore omninò & funditùs excludatur. Utut enim lene aut benignum habeatur Pus, fermentum est non ita deses, ut diù & usquàm possit morari innoxium, quin è contrà ità facilè actuosum est, ut si certâ quâdam copiâ abundet & alicubi diutiùs delitescat, partes quibus reconditur, crudelis sæpè & indomitus divexet hospes, improbam dispandat circùmquâque labem, aut etiàm sanguini vel minimùm refluendo, novâ iterùm sed funestiori tragœdiâ debacchetur. Expedit itaque Medicum tutiora & præstantiora cognoscere media, quibus citior fiat puris eductio: sed cùm huic efficiendæ tarda sæpè forent ut plurimùmque infausta Naturæ & Pharmaciæ conamina, auxilio vocanda est Ars Chirurgica, quæ abscessus claustra reserando, damnatæ materiei exitum præbeat: quâ vero ratione? quo modo? inter Cauterium & Ferrum ambigitur, moveatur hâc disputatione quæstio.

II

TRIA sunt quæ in omni conficiendâ operatione, tritissimo nec minùs valenti Adagio commendant omnes Medici & Chirurgi, & quæ etiàm in aperiendis abscessibus minimè contemnenda ducimus: hæc sunt, Asclepiade authore, tribus concepta verbis: *tutò*, *citò*, & *jucundè*; Per hoc *tutò*, intelligimus partes ità cautè, ità prudenter esse tractandas, ut nullâ factâ inutili labe, irritatione, aut læsione quâcumque, nullum malum addatur malo, & sic certiùs feliciùsque succedat operatio; *citò vero* & *jucundè* ad instrumenta non minùs quàm ad manum operantis applicare est, si quidem his clarè præcipitur ea omnibus anteponenda esse, quæ promptius levamen cùm leviori dolore præstare valent.

Duo igitur hìc nobis attendenda veniunt: 1°. partes corporis quæ vulgò sunt vacuandis abscessibus aperiendæ: 2°. instrumenta quæ in iis aperiendis minorem cruciatum, citiorem opem possunt afferre. Jam verò ut ad omnes ferè abscessus attingendos, transadigenda semper sunt integumenta, non abs re sit de iis pauca quædam præmittere. Nullos certè fugit quàm mollis & viva sensibus pareat cutis, quæ primum integumentorum, ipsum est generale exteriùsque corporis involucrum, quod omnes ubique partes convestiens triplici texturâ distinguitur; una Epidermis est seu Cuticula quæ squamosa, sensûs expers, nullis irrigata vasculis, modò rarior, modò densior, externam corporis superficiem obtegit,

* Theseos Authore, anno 1762.

innumerisque concribillata porulis, transpirationi incerniculum præbet; altera Corpus Reticulare dicta, quidam veluti mucus est, reticuli ad instar dispositus, qui cuticulæ subtùs & arctissimè cohærens, omnes nervorum papillas, mirâ mæandrorum implicatione convolvit; tertia denique Corium est, seu Derma, Cutisvè propriè dicta, quæ fibris tendineis, extremisque vasorum & nervorum propaginibus contexta, exquisitissimo sensu donatur. Tandem succedit integumentorum secundum, Membrana Cellularis, quæ cuti subjecta, nihil aliud est quàm membrana partim vasculosa, partim fibris tenuissimis conflata, hîc gracilis, ibì densa, angustiores, latioresvè cellulas efformans, in quibus pro variis partibus, majore vel minore copiâ secernitur liquidum quoddam oleosum, pingue, butyraceum, Adeps nomine. His breviter notatis jam facilè percipi potest quid ratione textûs & teneritatis perpeti valeant aut ferre recusent integumenta; adeòque an Cauterio, an Ferro potiùs aut perinde sint icienda, nunc in procinctu demonstrare est.

III.

CAUTERIUM, seu Pyroticum, genericè nuncupatur quod urendi vim habet sivè Actu, sivè Potentiâ. Si Actu eam vim exerat, Actuale; si Potentiâ, Potentiale dicitur. Primo nomine audiunt ignitabula vel materiæ ignitæ omnes, quæ partes corporis præcisâ & citissimâ concrematione dissolvunt, quorumque eò major numerus & varietas est, quod nullum datur ex rebus inferioribus corpus, ut ait Severinus, ex quo non possit ignis esca parari: altero nomine intelliguntur medicamenta corrodentia seu Caustica quæcumque, ut sales lixiviales, alkalini, maxime acidi fossiles, metalla ipsis acidis ad crystallinam concretionem redacta, calx & alia infinita quæ sivè inductâ quâdam cum corporis humoribus effervescentiâ, sivè peculiari quâ pollent colliquandi, lacerandi, consumandi facultate, tam solidorum quam fluidorum vitam & integritatem plùs minùsve diriment, escharras informando carnium assatarum crustis non sanè dissimiles. Hæc & illa autem, etiamsi innumerâ dividantur specie, pauciora tamen in aperiendis speciatim abscessibus vulgariter usurpantur; hæc sunt inter Actualia, Metalla Ardentia, præcipuè Ferrum; inter Potentialia, Lapis causticus, Butyrum Antimonii, quæ idcircò sola nunc in nostram mentionem incidunt. Metalli vel Ferri candentis effectus præcipui sunt isti: 1°. quod non simplici factâ diæresi, sed productâ semper substantiæ deperditione, partes solvat & aperiat; 2°. quòd violentâ & præcipiti suâ actione torrendo, fulminis instar, ferventem & rapidam provocet nervis concussionem, proindèque vehementissimum dolorem determinato tamen loco & tempore concitet; 3°. quòd circumstantes partes arefaciendo, suis eas fluidis penitùs exuat & vividâ corrugatione contrahat; 4°. denique, quòd easdem languentes aut labefactatas ad vitam & irritabilitatem nonnunquàm impetuosâ vellicatione revocet. Distinguitur Lapis Causticus, Butyrum Antimonii, 1°. improperatâ, nec minùs ardenti solidorum erosione, 2°. latiùs protractâ etiamque diuturniori irritatione nervorum, quam necessariò concomitatur dolor assiduus, spasmus, febris, inflammatio, suppuratio larga, vel quandòque tota sanguinis depravatio: quibus omnibus ritè & ad amussim consideratis, jure concludimus, deleteria esse, imò infensissima, vasculosis, nervosis partibus, ipsisque speciatim integumentis cauteria, ideòque non inconsideratè, non leviori ratione, sed in his tantùm urgentibus casibus esse adhibenda, ubi occurrit vel laxitas, vel torpedo, vel sanies, vel humiditas nimia, vel infarctus, vel stupor, vel mors alicujus partis imminens, ut non sinè fervido quodam impetu, possit exsuscitari vis vitæ languida aut deficiens. *Cauterisatio*, inquit Avicenna, (*a*) *est medicamentum valdè utile juvans ad prohibendum ne corruptio spargatur, & ad confortandum membrum cujus complexionem* frigidam *volumus rectificare*. Aliàs (*b*) *Fit cauterisatio in corporibus humidis ad exsiccandum ea, & in carnibus laxis ad indurandum eas, & calefaciendum corpora infrigidata*, &c. Tales autem indicationes præbent Tumores, ut aiunt, frigidi, strumosi, fungosi, venenati, putridi, Bubones critici, maligni, pestilentiales, Suppurationes lentæ, Phlegmones œdematosi, Affectiones paralyticæ, Gangræna, non omissâ ossium Carie, cui delendæ quantùm valeat ignis, nemo certè inficialis est. Notandum verò hîc obiter in plerisque iis casibus sæpiùs anteponendum esse cauterium actuale, (*c*) cujus vis torrida, prout momentananea & terminata, tantò præstat lentæ & excrucianti causticorum actioni, quòd illa paucis est exitiosis eventibus obnoxia, dùm ista effrenâ & incendiariâ suâ sævitie, totam sæpè sanguinis massam perturbat, nec rarò ad extinctionem usque ægrorum, crudelissimos pandit effectus, putà nauseas, vomitus, tormina, dolores irrequietos, vigilias, convulsiones, deliria, quæ si morte non infre-

(*a*) Lib. 1. Fen 4 Doct. 5. cap. 29.
(*b*) Id. Canticorum part. IV.
(*c*) Fabric ab. Aquap op. chir. p. 1. *Aëtius*, lib 12. cap. 25. *Marc Aurel. Sev Pyrot. Chir.* lib. 1.

menter excipiantur, hoc certè nulli mirum esse debet. Quidùm verò hæc subire majorum pericula, ubi totus est in magno abscessu morbus? ubi larga affluens puris copia, nihil aliud exigit quàm simplicem & promptam liquaminis detractionem. Quid hîc quæso aperiendo abscessui crudelis, terrifica ignis efficacia? quid longus & ardens caulticorum morsus? An de est lenius aut promptius diæresis medium? An est de ejus efficaciâ dubitandi ratio? Solvat ambiguum ferri comparatio.

IV.

FERRUM chirurgicè vocatur Lamella quæcumque ferrea, in exilissimam aciem tenuata, cujus ope partes corporis molles possunt præcisa concisione diffindi, tales sunt adaperiendis abcessibus, familiares apud Chirurgos lanceolæ, cultelli, forfices quorum acies acuminatissima, ferrulæ tenuissimæ vices gerens, obvium quòdque quàm minima fieri potest violentiâ & brevissimo dolore dividit. Sic diductâ tantum modò uniti cohæsione, vulnus simplex, seu solutio continui recens efficitur, quæ nullâ complicata partium alteratione facilè resarciri, coalescere, conglutinari potest. Sic subitò peractâ sectione parcitur dolori, parcitur partium integritati, ac tandem ociùs patefactis abscessûs latebris, opportunè & absque moræ periculo, educitur purulenta materies. His ferri dotibus conferantur nunc pyroticorum effectus, quid proderunt nisi acerbos cruciatus, amplas partium destructiones, multi generis pericula? non omittendo *longiorem escharræ casum, feram partium destructarum restitutionem* * difficilem coalescentiam, quam sæpè sequitur cutis difformitas. Hæc præter tanta cauterii utriusque incommoda, unum ad caustica magis pertinet ad eaque avertenda maximè sufficit, quod ex lege semper, semper lentâ agendi virtute, puris exitum retardent, adeòque ipsi vel adaugendi vel refluendi tempus ansamque præbeant. Notissimum enim illud etiamque verissimum axioma, *Pus Pure conficitur.* Undè jam de veterinariâ cantabat Mantuanus Poëta.

* *Marc. Aurel. Sever.* Chirurg. efficac. *Part. II.*

..... Alitur vitium vivitque tegendo,
Dùm medicas adhibere manus ad vulnera Pastor
Abnegat, & meliora Deos sedet omnia poscens.

Sunt indè in magnis abscessibus maximè pertimescenda partis abscedentis colliquatio, excidium, puris in putrilaginem conversio, vel in massam sanguineam resorptio, Metastasis, &c. hæcque omnia à causticis, plurima ab igniferis, dùm ferro tuta, cita, mitis semper medicina; cedant ergò Aplotomiæ Pyrotica.

Continuò culpam ferro compesce priusquàm
Dira par incautum serpant contagia vulnus.

Ubi igitur cessante inflammatione, vel internis vel externis, talis adnascitur tumor, ut in umbonem elevatus, extenuato jàm cacumine, vel aliis signis mollescere comperiatur, Abscessus maturus proindèque subitò aperiendus esse censeatur. Apprehenso itaquè dexterâ cultello, vernaculè *Bistouri*, incipiatur sectio à parte superiori mediâ ad totam integumentorum spissitudinem, & secundùm fibrarum rectitudinem, cautis videlicèt cavendis, intrepidè peragatur, ut cutis cæteraque involucra totâ tumoris longitudine exarentur, planèque patente abscessûs fundo dehiscant. Si deindèità excavatus fuerit materiæ focus, ut possunt quædam puris reliquiæ alicubì abscondité nidulari, vel etiàm ità flaccida, aut aliundè morbosa apparuerint integumenta, ut difficilè cum carne conglutinanda videantur, tunc iteranda in crucis formâ discisio, quatuorque indè dati anguli, forficibus resecari, abscindi debent, ut sic vulnus habeatur largum, ovale, linamentis carptis, spleniis, fasciisque pro more medicandum.

V.

VERUM non levis momenti est adversans nobis Divi Senis auctoritas, qui passim de thoracis & jecoris suppurati ustione loquitur. Sed pace tanti Viri dixerim, fuit illa antiquioris ævi barbariæ accommoda praxis, quâ inconsulti minùs quàm inexperti Majores, omnes ferè abscessus cauterio aperiebant. Si magis fortè quàm par est obsolevit illa consuetudo, saltem fuit semper ab omnibus magnis abscessibus planè rejicienda, nec quidem obstare debet Aretæi * aliàs commendatissimi ratio, qui ad aperiendòs jecoris abscessus, ignem post habitâ sectione præcipit, ut indè profluvium sanguinis vel hæmorrhagia coerceatur, quam ferro maximè pertimescendam esse prætendit: huic appositè magis respondere non possumus quàm ipsis celeberrimi Boerrhaavii commentato-

* De causis & signis morbor. diuturn. lib. 1. cap. XIII.

ris verbis (a) *Interim tamen videtur à sectione prudenter institutâ non tantùm Periculum esse lethalis hæmorrhagiæ, dùm enim pertunditur talis abcessus, cultelli vel lanceolæ apex hæret in sacco pleno pure, quod removet ad magnam satis distantiam, membranam pus coercentem à vasis suppositis. Præterea observata docent viscerum totam substantiam per abscessus purulentos quandòque consumi absque ullâ hæmorrhagiâ, licèt maxima etiàm vasa sanguinea adsint:* & hæc ut probem exemplis, duabus confirmabo obseruationibus.

Anno 1755, dùm adhuc sub celeberrimo D. *Morand*, Avunculo carissimo, in Invalidorum Domo Chirurgiæ incumbebam, occurrebat mihi tricenarius quidam miles nomine *Guede*, qui subitò tussi violentâ, maximâ spirandi difficultate & penè suffocatione correptus, vomicam subindè, seu pus lutulentum, putidissimum, pleno ore exspuebat. Erat ipsi insuper dolor gravans ad latus dextrum propè mamillam, inter quartam & quintam legitimam costam, ubì jam ab octo annis vulnus sclopetarium acceperat. Admotis digitis, persensi aliquam contenti liquidi fluctuationem, nec dubitavi quin ibi esset vomicæ focus. Suadente igitur & præsente D. *Morand*, sectionem institui, quâ peractâ tam vehementer prosiliit pus, ut totus penè fuerim conspurcatus. Erat sanè fœtoris intolerabilis materia, copiâque heminam superabat, sed factâ pro more medicatione cum victu aliquo lactis, planè intrà viginti dies restituebatur æger. (b)

Anno 1759, mense Martis ineunte, adveniebat in Nosocomium Adjacense æger quidam & Helvetus miles, *Brack*, qui ab uno vel altero mense, ictero laborabat; huic febris nulla, sed dolor aderat lateris lancinans, quo hepatitidem formari maximè suspicabar; applicato ideò cataplasmate resolvente, post exactum mensem, die scilicet 3. Aprilis, dolor evasit; palpanti interim an factus fuisset abscessus, obvius mihi fuit quidam, sed obscurus latentis & renitentis fluidi sensus; advocatis ideò in crastinam lucem pluribus in exercitu Chirurgis, jussi Aplotomiam esse instituendam, etiamsi refragarentur omnes, abscessumque esse negarent. Manus admovebat D. *Romand* Chirurgus Nosocomii primarius, qui primâ tentatâ punctione, cùm videret nihil aliud prodire quàm longum aëris sibilum, me credidit in errorem adductum, instante me tamen ulteriùs perrexit, ac impresso profundiùs cultello, inter ultimam legitimam & primam spuriam costam, largâ factâ sectione, duas circiter libras puris amurcoli fetentissimi & spissisimi (c) eduxit maximo ægri solatio; intromittebatur per aliquot dies turunda aliqua mollis, quâ apertus teneretur materiæ exitus, ast intrà quindecim dierum spacium, tam perfectè exsiccabatur ulcus, ipso jam coalescente vulnere, ut cùm medio Aprili, castris mutatis, Calvicium appelleremus, Chirurgus præcipuus exercitûs D. *Brion*, qui, nescio quâ ratione dubitans de ulceris exsiccatione, me absente, denuò aperuerat vulnus, nihil quidquam in eo purulentum inveniret. Obvenerunt mihi multi alii casus quos hìc adhuc possem subjungere, si non ii sufficerent ad stabiliendam ferri laudem; supersedemus itaque, futilem mittendo rationem eorum qui, pavescentibus ferrum ægrotis, caustico quandoquè obsecundandum volunt. Misereamur imprudentium qui temeraria & perniciosa sectantur, sed prudentibus semper suadeamus optimum *Debet id quod dolorem facit, quàm minimo tempore adesse, quod fiet celeriter administratâ sectione* (d).

Ergò magni abscessus ferro, non cauteriis, aperiendi.

(a) Van-Swieten comment. in Aphor. Boerrha. Parisiis 1754. tom. III, p. 115.

(b) Hinc observandum est non semper ad litteram esse sumend. Hipp. aph. 45, sect. VII. Coac. prænot. Sect. II N°. 409.

(c) Vide. Not. sup.

(d) Hipp. lib. de Medico, sect. I.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Franciscus Du Chanoy, *Rei Obstetriciæ Professor designatus, è Regiâ Scientiarum Academiâ Divionensi.*

M. Joannes-Mathæus De Frasne.

M. Nicolaus Jeanroy, *Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius.*

M. Joannes-Baptista Baignères.

M Joannes-Baptista Jumelin.

M. Achilles-Guillelmus Le Begue de Presle, *Eques & Censor Regius.*

M. Alphonsus-Vincentius-Ludovicus-Antonius Le Roi.

M. Joannes-Carolus De Brotonne.

M. Cæsar Coste, *Censor Regius.*

Proponebat Parisiis RENATUS LOUICHE DESFONTAINES, Rhedonensis, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1782. Ab octava ad meridiem.

Typis Quillau, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1782.